

PONTIFICIUM CONSILII
DE LEGUM TEXTIBUS

COMMUNICATI^NE^S

VOL. XXXIV - N. 1

2002

COMMUNICATIONES

PONTIFICIUM CONSILIO
DE LEGUM TEXTIBUS

Piazza Pio XII, 10 - 00193 Roma

N. 1

Semestrale

IUNIO 2002

Sped. Abb. Postale - 50% Roma

EX ACTIS IOANNIS PAULI PP. II

Litterae Apostolicae Motu Proprio datae quibus de sacramento paenitentiae celebrationem quaedam rationes explicantur (<i>Misericordia Dei</i>)	3
Epistula: Venerabili Fratri Licinio Rangel dilectisque Filiis Unionis Sancti Ioannis Mariae Vianney Camposinæ in Brasilia	11
Allocutio Summi Pontificis ad Auditores, Administros, Advocatosque Rotae Romanae coram admissos	13
Ex Allocutione ad eos qui in Assemblea Generali Academiae Pontificiae pro Vita partem habuerunt	19

EX ACTIS CONSILII

QUAESTIONES QUAEDAM STUDIO PONTIFICII CONSILII SUBMISSAE	24
RELATIONES CUM IURIS CANONICI STUDIOSIS	25
Allocutio Exc.mi Praesidis apud Universitatem Catholicam Mediolanensem « <i>Il Diritto Canonico, Perché?</i> » habita	25

EX ACTIS SANCTAE SEDIS

CONGREGATIO DE CULTU DIVINO ET DISCIPLINA SACRAMENTORUM	46
Decretum quo <i>Regulae Servandae</i> ad nullitatem sacrae Ordinationis declarandam foras dantur	46
CONGREGATIO PRO EPISCOPIS	
Decretum de Administratione Apostolica personali « Sancti Ioannis Mariae Vianney » condenda	57

EX ACTIS PONTIFICIAE COMMISSIONIS CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO

Coetus studiorum « De Matrimonio » (Sessio XII)	61
Coetus studiorum « De Matrimonio » (Sessio XIII)	82
Coetus studiorum « De Matrimonio » (Sessio XIV)	119
OPERA A CONSILII BIBLIOTHECA RECEPTA	146

**COETUS STUDIORUM
«DE MATRIMONIO»**

**Sessio XIII^a
(dd. 24-29 maii 1971 habita)**

Diebus 24-29 maii 1971, in Aula sedis Commissionis Codici Iuris Canonici recognoscendo, convenerunt Consultores designati ut sodales Coetus studiorum ad recognoscendas normas CIC de Matrimonio.

Interfuerunt Exc.mi Lourdusamy et Bank; et Ill.mi ac Rev.mi Fagiolo, Damizia, Quinn, Garcia Barberena, Chen, Cremin, de Clercq, Flatten, Che, Huizing et Leclerc et Ill.mus Giacchi.

Praesentes quoque erant Rev.mus P. Bidagor, Secretarius Generalis Commissionis et Rev.mus Voto, a studiis eiusdem Commissionis.

Octavae adunationi praefuit Em.mus Cardinalis Pericles Felici, Praeses Commissionis; caeteris adunationibus praefuit Rev.mus P. Bidagor. Rev.mus P. Huizing functus est munere Relatoris et Rev.mus Voto munere actuarii.

In praesenti Sessione absolutum est examen quaestionum de forma canonica matrimonii, et deinde revisi sunt canones de impedimentis mixtae religionis et disparitatis cultus, necnon plures canones de matrimonio conscientiae.

Rev.mus Flatten paravit schema canonum de impedimentis mixtae religionis et disparitatis cultus.


Sequentes Consultores autem votum de aliis quaestionibus paraverunt: Exc.mus Schneider et Rev.mi Fagiolo, Chen, Quinn, Barberena, Cremin et Leclerc.

Rev.mus Relator super vota Consultorum relationem apparavit et schema canonum redigit.

**Adunatio I^a
die 24 maii 1971 – mane habita**

Rev.mus Secretarius salutem dicit omnibus Consultoribus et quaerit num ipsis placeat Relatio laborum XII^a Sessionis sive quod attinet ad veritatem, sive quod attinet ad integritatem eorum quae referuntur.

Omnes Consultores Relationem approbant.



Deinde Rev.mus Secretarius Rev.mum Relatorem rogat ut ordinem laborum proponat et quaestiones tractandas exponat.

Rev.mus Relator meminit quasdam adhuc quaestiones de forma canonica matrimonii esse tractandas, quae in praecedenti Sessione absolutae non fuerunt, et deinde recognoscendi erunt canones de impedimentis mixtae religionis et disparitatis cultus, necnon canones de matrimonio conscientiae.

I. CANONES DE FORMA CANONICA MATRIMONII: DE ADNOTATIONE MATRIMONII

Rev.mus Relator legit sequentes canones, quos ipse in suo schemate proposuit.

Can. 1103 (adnotatio in matrimoniorum regestis):

« Celebrato matrimonio, parochus (loci celebrationis) (et loci ubi inquisitio praematrimonialis facta est) vel qui eius (eorum) vices gerit (gerunt), quamprimum consignet (consignent) in matrimoniorum regestis nomina coniugum ac testium, locum et diem celebrationis matrimonii atque alia secundum modum (lege generali et) a proprio Ordinario (aut: a propria Conferentia Episcoporum) praescriptum; idque licet non ipse, sed aliis minister sacer matrimonio adstiterit, vel matrimonium ad normam can. 1098 initum fuerit ».

Can. 1104 bis (notificatio matrimonii forma extraordinaria initi):

« Quoties matrimonium ad normam can. 1098 contrahitur, minister sacer, si celebrationi adfuerit, secus testes tenentur in solidum cum contrahentibus parochum loci quamprimum initi coniugii certiorem reddere; quod si absque gravi incommmodo fieri nequeat, Ordinarium loci certiorem reddant ».

Can. 1103 ter (adnotatio in libro baptizatorum)

« § 1. Parochus in regestis quoque baptizatorum consignet coniugem tali die in sua paroecia matrimonium contraxisse, si coniux in hac paroecia baptismum receperit.

§ 2. Quod si coniux in alia paroecia baptizatur fuerit, matrimonii parochus notitiam initi coniugii ad parochum baptismi sive per se sive per Curiam episcopalem transmittat, ut matrimonium in regestis baptizato-

rum consignetur; nec acquiescat donec peractae adnotationis notitiam reperit, quae processui praematrimoniali adiungenda est».

Can. 1103 quater (adnotatio matrimonii initi cum dispensatione a forma)

«§ 1. Conferentiae Episcoporum normas edant, quibus modus communis ratione determinetur, quo de matrimonio, post obtentam dispensationem a forma canonica contracto, in regestis iure canonico praescriptis constet.

§ 2. Parochus curet ut ministri quoque acatholici operam praestent ad adnotationem nuptiarum cum parte catholica in regestis praescriptis faciendam (aut: Parochus quaerat, si opus sit, notitias a ministro acatholico ut adnotatio in praescriptis regestis rite fiat)».

Canon 1103: quinquies (adnotatio solutionis, nullitatis, convalidationis)

«Quoties matrimonium convalidatur pro foro externo, nullum declaratur vel, aliter quam morte, solvitur, parochus loci initi matrimonii certior fieri debet, ut adnotatio in praescriptis regestis rite fiat».

Examinantur singuli canones:

Can. 1103 (de adnotatione in matrimoniorum regestis):

a) Rev.mus Relator quaerit num adnotatio facienda sit sive a parocho loci celebrationis, sive a parocho loci ubi inquisitio praematrimoniales facta est.

Fere omnes Consultores censem non esse necessariam aliam adnotationem praeter illam quae nunc in CIC praescribitur, quaeque a parocho celebrationis facienda est.

Ad summum, addunt Rev.mi Consultores primus et secundus, requiri posset a parocho celebrationis ut notitiam de celebrato matrimonio det parocho loci ubi inquisitio praematrimonialis facta est.

Rev.mus tertius Consultor autem defendit opportunitatem obligatoriae adnotationis in loco quoque ubi inquisitio praematrimonialis facta est, quia nunc temporis migrationes fidelium frequentissimae habentur et ideo talis nova adnotatio iuvamen aliquod preeberet circa inquisitionem libertatis status nupturientium.

Suffragatur utrum adnotatio facienda sit a parocho celebrationibus necne:

Omnibus placet.

Suffragatur utrum adnotatio facienda sit necne a parocho loci ubi inquisitio matrimonialis peracta est:

Placet 1; non placet 12.

b) Circa quaestionem de elementis in regestis adnotandis Rev.mus quartus Consultor proponit ut, praeter ea quae in formula Relatoris indicantur, nomen quoque ministri assistentis adnotatur.

Rev.mus quintus Consultor vero proponit ut Conferentiis Episcopali bus competat statuere non tantum *modum* quo adnotationes facienda sunt, sed etiam *quid* adnotandum sit.

Alii Consultores volunt ut Conferentiae Episcopales statuant tantum *modum* huiusmodi adnotationis.

Rev.mus quartus Consultor tamen censet non esse necessarium ut expresse dicatur *quis* modum adnotationis statuere debeat, sed tantum ut in canone dicatur «secundum modum *legitimi praescriptum*».

Suffragatur dubium utrum placeat hoc comma formulae propositae a Rev.mo Relatore necne: «...vel qui eius vices gerit, quamprimum adnotet in matrimoniorum regestis nomina coniugum, ministri assistentis ac testimoniis, locum et diem celebrationis matrimonii, iuxta modum a Conferentia Episcopali praescriptum»:

Placet 10; non placet 3.

Aliqui Consultores petunt ut dicatur: «...in matrimoniorum libris», loco «...in matrimoniorum regestis».

Placet 5; non placet 8.

c) Tandem obligatio adnotandi matrimonium in regestis tenet parochum etsi non ipse matrimonio adstiterit.

In formula proposita talis obligatio exprimitur per haec verba: «idque licet non ipse, sed alius minister sacer matrimonio adstiterit, vel matrimonium ad normam can. 1098 initum fuerit».

Circa haec verba Consultores omnes omittere volunt secundam partem commatis, quae respicit matrimonium forma extraordinaria celebratum.

Deinde Rev.mus Relator proponit ut tantum haec verba retineantur: «idque licet non ipse matrimonio adstiterit»; quae propositio omnibus placet.

His disceptatis, Exc.mus sextus Consultor proponit ut formula canonis ita redigatur: «Celebrato matrimonio, parochus loci celebrationis vel qui eius vices gerit, licet non ipse eidem adstiterit, quamprimum adnotet in

matrimoniorum regestis nomina coniugum, ministri assistentis ac testium, iuxta modum a Conferentia Episcoporum praescriptum ».

Placet 11; placet iuxta modum 2.

Modi:

(1) dicatur « etsi » loco « licet ».

Placet 12; non placet 1.

(2) dicatur « etsi neuter matrimonio adstiterit ».

Placet 9; non placet 1; abstinent a sententia ferenda 4.

Can. 1103 bis (notificatio matrimonii forma extraordinaria initi):

Rev.mus quintus Consultor proponit ut formula Rev.mi Relatoris ita emendetur: « Quoties matrimonium ad normam can. 1098 contrahitur, minister sacer, in solidum cum contrahentibus, parochum aut Ordinarium loci initi coniugii quamprimum certiorem reddat iuxta normas statutas a Conferentia Episcopali.

Rev.mus primus Consultor vellet tale onus tantum ad contrahentes restringere, quia minister forsitan in itinere est et ideo eidem grave incommodum imponitur.

Rev.mus Secretarius respondet Rev.mo quinto Consultori quod minister qui forte sit in itinere, satisfacit suo oneri si monet contrahentes de obligatione certiorem reddendi parochum aut Ordinarium.

Suffragatur formula proposita a Rev.mo quinto Consultore:

Placet 10; non placet 1; placet iuxta modum 2.

Modus:

Supprimantur verba « iuxta normas statutas a Conferentia Episcopali »:

Placet 11; non placet 2.

Adunatio II^a
die 25 maii 1971 – mane habita

Can. 1103 ter (adnotatio matrimonii in libro baptizatorum)

Examinatur formula Rev.mi Relatoris circa quam emendationes quae-dam proponuntur a Exc.mo sexto et Rev.mo septimo Consultoribus.

Sed Rev.mus quartus Consultor aliam novam formulam proponit, quae ita sonat:

«§ 1. Matrimonium contractum adnotetur etiam in baptizatorum regestis, in quibus baptismus coniugum descriptus est.

§ 2. Si coniux non in paroecia, in qua baptizatur est, matrimonium contraxerit, parochus loci celebrationis notitiam initi coniugii ad parochum loci collati baptismi quamprimum transmittat».

Rev.mus septimus Consultor censem formulam Rev.mi Relatoris praefrendam esse, quia per duas paragraphos bene distinguit duos casus, nempe quando coniux matrimonium init in paroecia in qua baptizatur fuit et quando coniux matrimonium init non in paroecia, in qua baptizatus fuit.

Si Consultores, autem addit Rev.mus septimus Consultor, censem su-mendam esse formulam Rev.mi quarti Consultoris, tunc sufficit para-graphus 1^a eiusdem formulae, quae continet principium omnino generale de adnotando matrimonio etiam in regestis baptizatorum, quod quidem principium videtur sufficere.

Post parvam discussionem Consultores censem preferendam esse for-mulam Rev.mi quarti Consultoris de qua proinde suffragatio habetur.

Suffragatur utrum placeat § 1 necne:

Placet 11; non placet 1; placet iuxta modum 1.

Modus:

In par. 1 dicatur: «...in quibus baptismus *utriusque* coniugis descriptus est».

Placet 3; non placet 10.

Suffragatur utrum placeat § 2 necne:

Placet omnibus.

Rev.mus secundus Consultor proponit ut § 2 canonis 1103 ter ita compleatur: « ...Hic vero parochum matrimonii certiorem faciat de hac adnotatione ».

Rev.mus tertius Consultor propositionem Rev.mi secundi Consultoris laudat et suggerit ut ponatur tamquam § 3.

Suffragatur utrum placeat suggestio Rev.mi secundi Consultoris necne:
Placet 7; non placet 6.

Suffragatur utrum talis propositio ponenda sita tamquam § 3 necne:
Placet 2; non placet 10: abstinent a sententia ferenda 1.

Rev.mus Relator, attento exitu suffragationis, proponit ut par. 2 ita compleatur: « ..., nec acquiescat, donec peractae adnotationis notitiam recipit, quae processui praematrimoniali adiungenda est ».

Placet 8; non placet 3; abstinet a sententia ferenda 1.

Suffragatur utrum placeat tota par. 2 post hanc additionem necne:
Placet 9; non placet 3; abstinet a sententia ferenda 1.

Can. 1103 quater (adnotatio matrimonii initi cum dispensatione a forma):

Suffragatur par. 1, quae per suggestionem Exc.mi sexti Consultoris, ita leviter mutatur:

« Conferentiae Episcopales normas edant, quibus modum communi ratione determinetur, quo de matrimonio, post obtentam dispensationem a forma canonica, contracto, in regestis *matrimoniorum et baptizatorum* constet ».

Formula omnibus placet.

In par. 2 sermo est de cura impendenda ad hoc ut adnotatio matrimonii cum parte acatholica fiat etiam a ministro acatholico in praescriptis regestis.

Rev.mus tertius Consultor censem melius esse si circa hanc materiam norma edatur a Conferentia Episcopali. Si ita placet, par. 2 penitus supprimi potest cum sufficienter rei provideatur in par. 2 ubi praecise committitur Conferentiis Episcopalibus ut normas edant quo determinetur modus quo de matrimonio in regestis constet.

Suffragatur utrum placeat supprimere par. 2 necne:

Placet 10; non placet 2.

Can. 1103 quinque:

Rev.mus Secretarius proponit ut formula Rev.mi Relatoris ita leviter mutetur:

«Quoties matrimonium convalidatur pro foro externo, *vel* nullum declaratur, *vel legitime, praeterquam* morte, solvitur, parochus loci celebratio- nis matrimonii certior fieri debet, ut adnotatio in regestis matrimoniorum et baptizatorum rite fiat».

Formula omnibus placet.

Exc.mus octavus Consultor animadvertis omnes normas, circa adnota- tionem matrimonii, nunc probatas, melius disponi ac ordinari posse, ita ut ad tres tantum canones reducantur.

Propositio placet (placet 11; abstinet a sententia ferenda 1) et ideo mu- nus committitur Exc.mo octavo Consultori ut hanc novam dispositionem canonum in proxima adunatione scripto omnibus praebeat, ita ut appro- bari possit.

Adunatio III^a
die 25 maii 1971 – vespere habita

II. DE MATRIMONIO CONSCIENTIAE

a) Ante omnia fit quaestio num servandum sit in novo iure institutum matrimonii conscientiae.

Rationes pro suppressione huiusmodi instituti ita a Relatore enuclean- tur:

– multa causae, olim gravissimae et urgentissimae, hodie fere num- quam occurunt, nemo est, enim, qui ignorat tale institutum ortum fuisse tempore quo revera inter varios coetus hominum separatio vigebat;

– multa incomoda eaque gravia hoc institutum secumferre solet, cum saepe in fraudem legis civilis eligatur;

– matrimonium natura sua est publicum et in iure civili ne quidem concipitur matrimonium quod non sit publicum, ideo periculum adest pro ministro sacro ut poena plectatur si adsistat tali matrimonio et noti- tiām initi matrimonii tabulario publico non transmittat;

– qui in loco suo publice contrahere nequeunt, hodie facile in alio loco publice contrahere possunt, sine ullo periculo divulgationis in loco suo.

Tamen aliqui Consultores notant quod hoc institutum non raro consuluit bono conscientiae et ideo absonum esset si expungeretur a iure canonico, cuius peculiaris nota est ut bono animarum consulat.

Suffragatur utrum placeat servare institutum matrimonii conscientiae necne:
Placet 8; non placet 4.

b) Deinde fit quaestio cui competit edere normas circa institutum matrimonii conscientiae.

Aliqui vellent unam tantum normam ponere in lege generali quae dicat ex gravi causa Ordinarium permittere posse matrimonium conscientiae *iuxta normas a Conferentia Episcopali statutas*.

Talis propositio, tamen, non placet maioritati Consultorum (placet 4; non placet 9).

Magis potius placet ut quaedam normae generales extent in lege communis, quibus (ut notat Rev.mus quartus Consultor) Conferentiae Episcopales alias quoque normas addere possunt iuxta locorum necessitates.

Examinatur formula can. 1104 proposita a Relatore:

« Ex gravi et urgente causa loci Ordinarius (excluso Vicario Generali sine speciali mandato) permittere potest ut matrimonium secreto celebretur ad normam canonum 1105-1107 ».

Aliqui Consultores autem Vicarium Generalem excludendum esse a facultate permittendi matrimonium conscientiae, dum alii censem nihil dicendum esse in praesenti canone de Vicario Generali, ita ut res pendeat ab Episcopo, qui potest hanc facultatem sibi reservare ad normam can. 268.

Suffragatur utrum placeat formula canonis 1104 necne:

Placet 11; placet iuxta modum 1; abstinent a sententia ferenda 1.

Modus:

Post canonem 1107 aliquid dicatur de competentia Conferentiae Episcopalis circa hanc materiam.

Suffragatur utrum placeat supprimere necne verba inter uncos posita id est « excluso Vicario Generali sine speciali mandato »:

Placet 8; non placet 5.

Rev.mus secundus Consultor proponit ut dicatur in canone: « ...matri-monium *secretum* celebretur » loco « ...secreto celebretur ».

Placet 4; non placet 9.

Can. 1105 (effectus permissionis matrimonii secreti)

Formula Rev.mi Relatoris ita se habet:

« Permissio matrimonii secreti secumfert:

1º omissionem publicationum matrimonii quae iure particulari praescribuntur:

2º obligationem secretum matrimonii servandi ex parte Ordinarii loci eiusque successorum, ministri assistentis, testium, et alterius coniugis altero non consentiente divulgationi ».

Circa hanc formulam sequentes emendationes proponuntur:

1) dicatur « obligationem *gravem* secretum matrimonii servandi... » (Exc.mus octavus Consultor):

Placet 10; non placet 1; abstinet a sententia ferenda 1.

2) supprimantur verba « eiusque successorum », quia in uno verbo « Ordinarii » etiam « successores comprehenduntur » (Rev.mus quartus Consultor):

Placet 7; non placet 6.

3) in n. 2º supprimatur verbum « matrimonio » (Rev.mus septimus Consultor):

Placet 10; non placet 3.

His emendationibus factis, suffragatur integra formula canonis:

Placet 11; placet iuxta modum 2.

Modi:

1) in canone dicatur quid est matrimonium conscientiae:

Placet 1; non placet 9; abstinent a sententia ferenda 3.

2) n. 1º ita corrigatur: « omissionem publicationum matrimonialium ad normam can. 1020 praescriptarum ».

Placet 8; non placet 4; abstinet a sententia ferenda 1.

3) initio dicatur: « Permissio *huismodi* matrimonii etc ».

Placet 5; non placet 7; abstinet a sententia ferenda 1.

Adunatio IV^a

die 26 maii 1971 – mane habita

Can. 1106 (cessatio obligationis secreti):

« Obligatio secreti, de qua can. 1105, 2º, ex parte Ordinarii loci eiusque successorum cessat, si et quatenus grave scandalum aut gravis erga matrimonii sanctitatem iniuria ex secreti observantia immineat ».

Ante omnia suffragatur utrum etiam ex hac formula, sicut pro praecedenti formula, expungenda sint verba « eiusque successorum » necne.

Placet 8; non placet 4.

Deinde suffragatur utrum placeat formula canonis necne.

Placet 9; placet iuxta modum 3.

Modi:

(1) initio dicatur « Obligatio secretum *servandi* etc... » (Exc.mus octavus Consultor):

Placet 11; abstinet a sententia ferenda 1.

(2) deleantur verba « et quatenus » (Rev.mus quintus Consultor):

Placet 8; non placet 3; abstinet a sententia ferenda 1.

Can. 1107 (adnotatio matrimonii secreti):

Relator hanc formula proponit:

« Matrimonium secreto celebratum in peculiari tantummodo regesto de quo in can.... (379) adnotetur ».

Exc.mus octavus et Rev.mus septimus Consultores proponunt hanc mutationem, quae omnibus placet: « Matrimonium secreto celebratum in peculiari tantummodo regesto, servando in secreto Curiae archivo de quo in can. 379, adnotetur ».

Rev.mus Secretarius quaerit num hoc caput modo recognitum inscribi debeat « De matrimonio conscientiae » vel « De matrimonio secreto ».

Rev.mus quintus Consultor aliam inscriptionem proponit, scilicet « De matrimonio secreto celebrando ».

Seligitur inscriptio per suffragationem:

(1) utrum placeat « De matrimonio conscientiae » necne:

Placet 3; non placet 10.

(2) utrum placeat « De matrimonio secreto » necne:

Placet 2; non placet 9; abstinet a sententia ferenda 1.

(3) utrum placeat « De matrimonio secreto celebrando » necne:

Placet 8; non placet 3; abstinet 1; placet iuxta modum 1.

Modus:

Dicatur « *secreta* » loco « *secreto* » (Rev.mus secundus Consultor):

Placet 5; non placet 8.

Exc.mus octavus Consultor praebet Consultoribus novam ordinacionem canonum qui agunt de adnotatione matrimonii:

Can. 1103

§ 1. Celebrato matrimonio, parochus loci celebrationis vel qui eius vi-ces gerit, etsi neuter eidem astiterit, quamprimum adnotet in matrimoniorum regestis nomina coniugum, ministri assistentis ac testium, locum et diem celebrationis matrimonii iuxta modum a Conferentia Episcoporum praescriptum.

§ 2. Quoties matrimonium ad normam can. 1098 contrahitur, minister sacer, si celebrationi adfuerit, secus testes tenentur in solidum cum contrahentibus parochum aut Ordinarium loci de inito coniugio quamprimum certiorem reddere.

§ 3. Si agitur de matrimonio cum dispensatione a forma canonica contracto, Conferentiae Episcoporum normas edant, quibus modus communione determinetur, quo de hoc matrimonio in regestis matrimoniorum constet.

Can. 1103 bis

§ 1. Matrimoniorum contractum adnotetur etiam in regestis baptizatorum in quibus baptismus coniugum descriptus est.

§ 2. Si coniux matrimonium contraxerit non in paroecia in qua baptizatus est, parochus loci celebrationis matrimonii notitiam initi coniugii ad parochum loci collati baptismi quam transmittat, nec acquiescat donec perfectae adnotationis notitiam receperit, quae processui praematriimoniiali adiungenda est.

Can. 1103 ter

Quoties matrimonium vel convalidatur pro foro externo, vel nullum declaratur, vel legitime praeterquam morte solvitur, parochus loci celebrationis matrimonii certior fieri debet, ut adnotatio in regestis matrimoniorum et baptizatorum rite fiat.

Rev.mus quartus Consultor proponit ut in can. 1103, part. 3, in fine ita compleatur: «...in regestis matrimoniorum *et baptizatorum constet*».

Placet 9; non placet 4.

Rev.mus quintus Consultor proponit ut ipsa par. 3, can. 1103, initio ita mutetur: «*Quoad matrimonium, etc...*».

Placet omnibus

His emendationibus factis, suffragatur utrum placeant necne canones iuxta novam ordinationem factam ab Exc.mo octavo Consultore.

Placet omnibus.

Deinde examinatur schema canonum 1060/1066 et 1070/1071 a Rev.mo quarto Consultore, ad mentem M.p. *Matrimonia mixta* redactum.

Recognitio horum canonum suo tempore dilata prorsus fuit quia attendebantur normae Sanctae Sedis circa matrimonia mixta.

En schema canonum quod Rev.mus quartus Consultor Consultoribus praebuit:

Can. 1060

Matrimonium inter duas personas baptizatas, quarum altera sit catholica, altera vero non catholica, cum natura sua plenaे spirituali coniugum communio obstet, (sine praevia Ordinarii loci dispensatione), contrahi non licet.

Can. 1061

Ab hoc impedimento mixtae religionis Ordinarius loci, (pro tempore, locorum personarumque rationibus et adiunctis), dispensationem non recusat, dummodo

- 1° iusta causa habeatur;
- 2° pars catholica declarat se paratam esse pericula a fide deficiendi removere et insuper promissionem sinceram praestet se omnia pro viribus facturam esse, ut universa proles in ecclesia catholica baptizetur et educetur;
- 3° pars non catholica de his promissionibus a parte catholica faciendis tempestive certior fiat, adeo ut constet ipsam vere conscientiam esse promissionis et obligationis partis catholicae.

Can. 1062

Conferentiae Episcoporum est, (secundum propriam territorii competentiam), statuere modum quo hae declarationes et promissiones quae semper requiruntur, facienda sint, sive ore tantum sive etiam scriptis sive coram testibus; tum rationem definire qua de ipsis et in foro externo constet et pars acatholica certior reddatur; itemque edicere quae alia sint, pro opportunitate, postulanda. Conferentia Episcopalis Apostolicam Sedem certiorem reddat de iis, quae circa matrimonia mixta pro sua competentia decreverit.

Can. 1063

Quoad formam canonicam, in matrimonio mixto contrahendo serventur praescripta canonis 1099).

Can. 1064

Ordinarii locorum aliquique animarum pastores current, ne coniugi catholico et filiis, e matrimonio mixto natis, auxilium spirituale desit ad eorum officia conscientiae adimplenda, atque coniuges adiuvent ad vitae coniugalnis et familiaris fovendam unitatem.

Can. 1065

Matrimonio eius, qui notorie aut catholicam fidem abiecit, etsi ad cōmunitatē acatholicā non transierit, aut societati ab Ecclesia damnatae adscriptus est, parochus ne assistat, nisi Ordinarius loci, dummodo condicōnes, de quib⁹ in can. 1061, mutatis mutandis impletæ sint, licentiam dederit.

Can. 1066

Matrimonio publici peccatoris parochus ne assistat, nisi gravis urgeat causa, de qua, si fieri possit, consulat Ordinariū loci.

Can. 1070

§ 1. Matrimonium inter duas personas, quarum altera sit baptizata in Ecclesia catholica vel in eandem recepta et altera non baptizata, initum (sine prævia Ordinarii loci dispensatione), est invalidum.

§ 2. Si pars tempore contracti matrimonii tamquam baptizata communiter habebatur aut eius baptismus erat dubius, præsumenda est, ad normam can. 1014, validitas matrimonii, donec certo probetur alteram partem baptizatam esse, alteram vero non baptizatam.

Can. 1071

Quae de impedimento mixtae religionis in canonibus 1061-1064 præscripta sunt, applicari quoque debent matrimonii, quibus obstat impedimentum disparitatis cultus.

Examinantur singuli canones:

Can. 1060

Matrimonium inter duas personas baptizatos, quarum altera sit catholica, altera vero non catholica, cum natura sua plenae spirituali coniugum communioni obstet, (sine prævia Ordinarii loci dispensatione), contrahi non licet.

Rev.mus septimus Consultor censet supprimi posse haec verba: «cum natura sua plenae spirituali coniugum communioni obstet», quia non est necessarium rationem legis exprimere, et quia talis ratio non pro omnibus casibus vera est.

Rev.mus quartus Consultor dicit haec verba, sicut alia verba canonis, deprompta esse a M.p. *Matrimonia mixta*, n. 1.

Rev.mus Secretarius dicit in M.p. (n. 1) illa verba supponere explicacionem notionis « plena communionis » in prooemio ipsius M.p. datam. In hoc canone, autem, illa verba omitti possunt.

Rev.mus tertius Consultor monet ne referantur in canone rationes impedimenti mixtae religionis, ex. gr. periculum perversionis vel obstaculum plenae spirituali coniugum communioni. Tales enim rationes exiguntur a peculiari mentalitate Ecclesiae certis temporibus; nunc, autem, rationes quae exigunt prohibitionem huiusmodi matrimonii componi debent cum rationibus quae proponuntur ad tuendam libertatem conscientiae et ius uniuscuiusque sibi eligendi propriam uxorem.

Exc.mus sextus Consultor et Rev.mus nonus Consultor illam rationem in canone retinere vellent, adhibitis tamen verbis non nimis peremptoriis.

Suffragatur utrum placeat can. 1060 necne:

Placet 8; placet iuxta modum 5.

Modi:

(1) omittantur verba inter uncos posita:

Placet 6; non placet 7.

(2) omittantur verba « cum natura sua plenae spirituali coniugum communioni obstet »:

Placet 3; non placet 10.

(3) dicatur « prohibitum est » loco « contrahi non licet »:

Placet 7; non placet 6.

(4) canon compleatur per verba CIC: « ...quod si adsit perversionis periculum, etc... »:

Placet 1; non placet 11; abstinet a sententia ferenda 1.

(5) dicatur « licite contrahi non licet » loco « contrahi non licet »:

Placet 2; non placet 10; abstinet a sententia ferenda 1.

(6) dicatur « illicitum est » loco « contrahi non licet »:

Placet 2; non placet 10; abstinet a sententia ferenda 1.

Adunatio V^a
die 26 maii 1971 – vespere habita

Can. 1061

Ab hoc impedimento mixtae religionis Ordinarius loci, (pro temporum, locorum personarumque rationibus et adiunctis), dispensationem non recusat, dummodo

1° iusta causa habeatur;

2° pars catholica declarat se paratam esse pericula a fide deficiendi remove-re et insuper promissionem sinceram praestet se omnia pro viribus facturam es-se, ut universa proles in ecclesia catholica baptizetur et educetur;

3° pars non catholica de his promissionibus a parte catholica faciendis tempestive certior fiat, adeo ut constet ipsam vere conscientiam esse promissionis et obligationis partis catholicae.

Rev.mus primus Consultor proponit additionem par. 2 qua edicatur dispensationem esse denegandam quando adit periculum perversio-nis.

Rev.mus nonus Consultor dicit normam n. 3 corrigendam esse hoc sensu quod pars non catholica certior fiat non tantum de « promissionibus » sed etiam de « declarationibus » de quibus in n. 2.

Praeterea in fine n. 3 supprimi potest verbum « promissionis », manente tantum verbo « obligationis », quia obligatio supponit promissionem factam, quin expresse dicatur.

Sed Rev.mus Secretarius censet suppressionem verbi « promissionis » non esse opportunam quia secus origo « obligationis » tribueretur tantum voluntati Ecclesiae et non etiam voluntati partis, quae promissiones fecerat.

Rev.mus tertius Consultor animadvertisit quod redactio facta a Rev.mo quarto Consultore plus exigit quam redactio respectivae normae M.p. Etenim in M.p. verbum « dummodo » afficit tantum necessitatem iustae causae, dum in formula proposita afficit etiam cautions.

Relator concordat cum Rev.mo tertio Consultore et, ad vitandam talem discrepantiam, proponit ut tota materia canonis disponatur in tres paragraphos.

« § 1. Ad hoc impedimento mixtae religionis Ordinarius loci, pro temporum, locorum personarumque rationibus et adiunctis, dispensationem concedere potest, dummodo iusta causa habeatur ».

Placet 9; placet iuxta modum 4.

Modi:

(1) supprimantur verba « pro temporum, locorum...adiunctis »:

Placet 5; non placet 8.

(2) omittantur verba « mixtae religionis »:

Placet 6; non placet 6; abstinet a sententia ferenda 1.

Pro par. 2 redigendo, Rev.mus quartus Consultor proponit ut integre mutuantur verba n. 4 M.p. *Matrimonia mixta*. Rev.mus quartus Consultor, tamen, cui consenunt Exc.mus sextus et Rev.mus secundus Consultores, censem declarationes et promissiones de quibus in illo n. 4 esse necessarias ad validitatem pro dispensatione obtinenda et talis videtur esse mens M.p.

Rev.mus Secretarius negat in M.p. declarationes et promissiones requiri ad validitatem pro dispensatione et omnes alii Consultores concordant cum Rev.mo Secretario. Alia est quaestio, addit Rev.mus Secretarius, si hic Coetus in nova lege illas declarationes et promissiones exigere vult ad validitatem: id fieri potest cum nos non tenemur taxative ad illa quae statuuntur in M.p.

Fere omnes Consultores censem inopportunum esse discedere a mente M.p., quia in illo apparando amplissimae consultationes et investigationes factae sunt.

Suffragatur ergo utrum placeat § 2 ita redacta necne:

« Ad impetrandam dispensationem, pars catholica declarat se paratam esse pericula a fide deficiendi removere. Eadem insuper gravi obligatione tenetur promissionem sinceram praestandi, se omnia pro viribus facturam esse, ut universa proles in Ecclesia catholica baptizetur et educetur ».

Placet 11; placet iuxta modum 2.

Modi:

(1) retineantur etiam verba M.p. « Ad impetrandam *ab Ordinario loci* dispensationem.... »:

Placet 2; non placet 11.

(2) retineatur etiam verbum « *impedimenti* » prout in M.p. « Ad impetrandam dispensationem *impedimenti...* »:

Placet 4; non placet 9.

Pro § 3 redigenda, omnes Consultores, praeter unum, mutuare volunt verba M.p. (n. 5):

« De his promissionibus a parte catholica faciendis, pars non catholica tempestive certior fiat, adeo ut constet ipsam vere conscientiam esse promissionis et obligationis partis catholicae ».

Can. 1062

Conferentiae Episcoporum est, (secundum propriam territorii competentiam), statuere modum quo hae declarationes et promissiones quae semper requiruntur, facienda sint, sive ore tantum sive etiam scriptis sive coram testibus; tum rationem definire qua de ipsis et in foro externo constet et pars acatholica certior reddatur; itemque edicere quae alia sint, pro opportunitate, postulanda. Conferentia Episcopalis Apostolicam Sedem certiorem reddat de iis, quae circa matrimonia mixta pro sua competentia decreverit.

Suffragatur haec formula:

Placet 10; placet iuxta modum 3.

Modi:

(1) supprimatur novissimum comma: « Conferentia Episcopalis Apostolicam Sedem certiorem reddat.... »:

Placet 4; non placet 9.

(2) supprimantur verba « secundum propriam territorii competentiam »:

Placet 4; non placet 9.

Rev.mus septimus Consultor monet Consultores ut considerent num conveniat supprimere novissimum comma huius canonis, ita tamen ut de ipso fiat canon distinctus, qui ponatur in fine omnium canonum de impedimento mixtae religionis.

Suffragatur haec propositio Rev.mi septimi Consultoris:

Placet 12; non placet 1.

Can. 1063

Quoad formam canonicam, in matrimonio mixto contrahendo serventur praescripta canonis 1099.

Fere omnes Consultores (11 contra 2) volunt hunc canonem supprimere.

Deinde Rev.mus Relator proponit canonem sequentem, qui sit canon. 1063:

« Ordinarii locorum aliquae animarum pastores carent, ne coniugi catholico et filiis, e matrimonio mixto natis, auxilium spirituale desit ad eorum officia conscientiae adimplenda, atque coniuges adiuvent ad vitae coniugalis et familiaris fovendam unitatem ».

Rev.mus tertius Consultor laudat hunc textum canonis, proponit tamen ut ponatur post canonem 1071, quia eadem cura pastoralis impendenda est circa eos qui matrimonium disparitatis cultus ineunt et circa filios ex tali matrimonio natos.

Alii Consultores non approbant propositionem Rev.mi tertii Consultoris.

Suffragatur utrum placeat formula can. 1064 (nunc 1063):

Placet 6; placet iuxta modum 6.

Modus:

Canon compleatur his verbis depromptis e n. 15 M.p. *Matrimonia mixta*: « qua de re optandum est ut iidem pastores relationes instituant cum ministris aliarum communitatum religiosarum, easque sincera probitate et sapienti fiducia conforment ».

Placet 5; non placet 5; placet iuxta modum 2.

Excutiuntur isti modi circa modum:

– aliqui (3 contra 9) vellent ut comma, in modo relatum, sit canon distinctus.

– alii (4 contra 8) vellent illud comma ita restringere: « ...relationibus etiam initis cum ministris aliarum communitatum ».

Adunatio VI^o
die 27 maii 1971 –mane habita

Rev.mus quartus Consultor proponit hunc canonem, qui sit can. 1064:

«Conferentia episcopalis Apostolicam Sedem certiorem reddat de iis
quae circa matrimonia mixta ad normam canonum 1062, 1099 § 3, 1103
§ 3 pro sua competentia decreverit».

Aliqui vellent ut talis canon sit can. 1063 et canon praecedens sit
can. 1064.

Suffragatur utrum placeat necne haec propositio de loco canonis:
Placet 4; non placet 8.

Suffragatur utrum placeat necne ipsa formula canonis proposita a
Rev.mo quarto Consultore:

Placet 9; placet iuxta modum 3.

Modi:

(1) dicatur «... ad normam canonum 1062, 1099 § 3, 1103 §§ 1
et 3...»:

Placet 2; non placet 10.

(2) adhibetur forma pluralis: «Conferentiae Episcopales...»:

Placet 9; non placet 1; abstinent a sententia ferenda 2.

(3) supprimantur verba: «pro sua competentia...»:

Placet 5; non placet 7.

Can. 1065

*Matrimonio eius, qui notorie aut catholicam fidem abiecit, etsi ad
communitatem acatholicam non transierit, aut societati ab Ecclesia dam-
natae adscriptus est, parochus ne assistat, nisi Ordinarius loci, dummodo
condiciones, de quibus in can. 1061, mutatis mutandis impletae sint, li-
centiam dederit.*

Exc.mus octavus Consultor proponit ut dicatur «societati prohibitae» loco «societati damnatae».

Rev.mus tertius Consultor admittit quod verbum «prohibitae» magis respondet modo nunc temporis agendi Ecclesiae, attamen nemo praevidere potest futurum modum agendi Ecclesiae quando circumstantiae aliae erunt. Ideo servari posset verbum «damnatae».

Ipse Rev.mus tertius Consultor proponit ut dicatur «servatis normis can. 1061 ad singulos casus aptatis» loco «cum postulata de quibus... etc.».

Rev.mus Relator vellet hanc normam imponere tantum pro casu partis catholicae quae contrahat cum parte quae notorie catholicam fidem abiecit aut societati ab Ecclesia damnatae adscripta est. Quando autem ambo partes sunt in eadem conditione contra fidem, tunc ipsum matrimonium canonicum esset illis denegandum.

Rev.mus Secretarius dicit propositionem Rev.mi Relatoris admitti non posse quia illi habent ius nubendi, et unicus modus pro ipsis est matrimonium-sacramentum.

Suffragatur formula canonis per partes:

Prima pars: «Matrimonio eius, qui...parochus ne assistat».

Placet 6: placet iuxta modum 5.

Modi:

(1) dicatur «prohibitae» loco «damnatae»:

Placet 7; non placet 4.

(2) dicatur «... aut *notorie* societati ab Ecclesia damnatae...etc» loco «aut societati...etc.»:

Placet 1; non placet 9; abstinet a sententia ferenda 1.

(3) deleantur verba «etsi ad communitatem acatholicam non transierit»:

Placet 5; non placet 6.

(4) loco «prohibitae» dicatur «reprobatae»:

Placet 5; non placet 5; abstinet a sententia ferenda 1.

(5) initio dicatur: «Matrimonio inter partem catholicam et partem quae notorie aut catholicam fidem abiecit...aut etc...»:

Placet 1; non placet 10.

Secunda pars:

Rev.mus quartus Consultor ita secundam partem canonis proponit:
« nisi Ordinarius loci, servatis normis de quibus in can. 1061 ad singulos casus convenienter aptatis, licentiam dederit ».

Placet 7; non placet 2; placet iuxta modum 2.

Modi:

(1) dicatur « ... parochus tantum cum licentia Ordinarii assistere potest, si requisita de quibus in can. 1061, mutatis mutandis, adimpta fuerint »:

Placet 1; non placet 10.

(2) omittatur verbum « convenienter »:

Placet 5; non placet 5; abstinet a sententia ferenda 1.

His emendationibus factis, suffragatur utrum placeat necne integra formula, quae ita sonat:

« Matrimonio eius, qui notorie aut catholicam fidem abiecit, etsi ad communitem acatholicam non transierit, aut societati ab Ecclesia prohibite (reprobatae) adscriptus, parochus ne assistat, nisi Ordinarius loci, servatis normis de quibus in can. 1061, ad singulos casus (convenienter) aptatis, licentiam dederit ».

Placet 10; abstinet a sententia ferenda 1.

Can. 1066

Matrimonio publici peccatoris parochus ne assistat, nisi gravis urgeat causa, de qua, si fieri possit, consulat Ordinarium loci.

Exc.mus sextus Consultor proponit suppressionem huius canonis, quia nemo agnoscit se esse *publicum* peccatorem. Parochi vel Ordinarii erit, pro sua prudentia, decernere quid faciendum sit in his casibus. Tendentia enim habetur tales peccatores benigne accipere, potius quam illos respuere.

Rev.mus tertius Consultor autem tenet canonem esse servandum, quinmmo servare oporteret integrum formulam CIC (can. 1066), quippe quae confessionem sacramentalem aut reconciliationem cum Ecclesia exquiriat, antequam matrimonio parochus assistere possit. Ad naturam huius

peccati publici quod attinet restringi posset tantum ad illas factispecies quae graviter impediunt rectam vitam matrimonialem.

Rev.mus nonus Consultor censet locutionem « publicus peccator » vita-ri posse per aliquam circumlocutionem, ex. gr. « ... cuius vita publico scan-dalo est ».

Sed Rev.mus quartus Consultor dicit notionem publici peccatoris cla-ram esse in iure, quare inopportunum censet ab illa discedere.

Suffragatur utrum placeat formula canonis proposita a Rev.mo quarto Consultore necne:

Placet 3; non placet 1; placet iuxta modum 5.

Suffragatur utrum placeat supprimere can. 1066 necne:

Placet 7; non placet 6.

Adunatio VII^a
Die 27 maii 1971 – vespere habita

Rev.mus quartus Consultor meminit votum a Consultoribus factum in Sessione praecedenti circa redactionem can. 1038 bis (de subiecto impedi-mentorum iuris ecclesiastici), quae conformari debet novae redactioni can. 1099. Ideo proponit hanc formulam can. 1038 bis:

« Impedimentis iuris mere ecclesiastici tenentur tantum illi qui sunt in Ecclesia catholica baptizati vel in eam recepti nec actu formali aut notorie ab ea defecerunt ».

Placet 11; non placet 1; abstinet a sententia ferenda 1.

Can. 1070

§ 1. Matrimonium inter duas personas, quarum altera sit baptizata in Ecclesia catholica vel in eandem recepta et altera non baptizata, initum (si-ne praevia Ordinarii loci dispensatione), est invalidum.

§ 2. Si pars tempore contracti matrimonii tamquam baptizata communi-ter habebatur aut eius baptismus erat dubius, praesumenda est, ad normam can. 1014, validitas matrimonii, donec certo probetur alteram par-tem baptizatam esse, alteram vero non baptizatam.

Exc.mus octavus Consultor censet etiam redactionem can. 1070 par. 1 conformandam esse novae redactioni can. 1099 et 1038 bis et ideo proponit hanc emendationem: « ...vel in eandem recepta *nec actu formali aut notorie ab ea defecit* et altera non baptizata... ».

Rev.mus quartus Consultor consentit cum Exc.mo octavo Consultore circa hanc additionem quae normam clariorem reddit.

Suffragatur formula § 1 cum emendatione Exc.mi octavi Consultoris:

Placet 5; non placet 4; placet iuxta modum 3; abstinet a sententia ferenda 1.

Modi:

(1) supprimantur verba « nec actu formali aut notorie ab ea defecit » (Rev.mus septimus Consultor):

Placet 6; non placet 6; abstinet a sententia ferenda 1.

(2) dicatur « Matrimonium inter duas partes quarum altera est baptizata in Ecclesia catholica ad sensum can. 1038 bis et altera non baptizata, initum etc... » (Rev.mus tertius Consultor).

Rev.mus Relator, cui placet hic modus, dicit quod, si modus approbatur, formula can. 1038 bis ita mutari deberet: « ...tenentur tantum catholici id est illi qui sunt in Ecclesia catholica baptizati vel etc... ».

Rev.mus Secretarius censet talem mutationem can. 1038 bis esse periculosam.

Suffragatur modus Rev.mi tertii Consuloris:

Placet 1; non placet 12.

(3) dicatur: « ...quarum altera sit subiecta impedimentis iuris mere ecclesiastici et altera... » (Rev.mus Relator):

Placet 4; non placet 9.

(4) dicatur: « ...quarum altera sit catholica et altera non baptizata... » (Exc.mus octavus Consultor):

Placet 6; non placet 6; abstinet a sententia ferenda 1.

Circa § 2 Rev.mus Relator proponit ut initio ita mutetur: « In dubio num pars tempore contracti matrimonii valide baptizata fuerit, praesumenda est, ad normam can. 1014, validitas matrimonii...etc. ».

Rev.mus tertius Consultor censet per hanc emendationem mutatum iri vigentem disciplinam quia non amplius in formula haberetur casus illius partis quae « baptizata communiter habebatur ».

Suffragatur utrum placeat formula proposita a Rev.mo quarto Consultore necne:

Placet 8; non placet 2; placet iuxta modum 3.

Modus:

Introducatur in formula emendatio proposita a Rev.mo Relatore:

Placet 6; non placet 7.

Can. 1071

Quae de impedimento mixtae religionis in canonibus 1061-1064 praescripta sunt, applicari quoque debent matrimonii, quibus obstat impedimentum disparitatis cultus.

Rev.mus primus Consultor increpat aequiparationem iuridicam quae habetur inter matrimonia cum impedimento disparitatis cultus et matrimonia cum impedimento mixtae religionis. Siquidem matrimonia cum impedimento disparitatis cultus solvi possunt ab Ecclesia, in favorem fidei, id inducere potest et de facto inducit in quosdam abusus. Oporteret rigidorem reddere disciplinam circa impedimentum disparitatis cultus, ita ut illi abusus vitarentur.

Rev.mus tertius Consultor censet disciplinam canonicam esse sufficienter rigidam; abusus potius proveniunt ex eo quod non satis attenditur ad iustum causam et ad alias conditiones, quando lex applicatur.

Suffragatur utrum placeat formula canonis proposita a Rev.mo quarto Consultore necne:

Placet 12; placet iuxta modum 1.

Modus:

Initio canonis ita dicatur: « Quae in cann. 1061-1064 praescripta sunt applicari quoque debent etc... ». Hoc modo vitatur illa apparentia aequiparationis de qua locutus est Rev.mus primus Consultor.

Placet 10; non placet 3.

**Adunatio VII^a
die 28 Maii 1971 – mane habita**

Huic conventui praest Em.mus Cardinalis Praeses.

**Caput VIII
DE TEMPORE ET LOCO CELEBRATIONIS MATRIMONII**

Relator proponit ut can. 1108 CIC — de tempore celebrationis matrimonii — supprimatur. Nemo est, enim, qui adhuc sustinere vult tempora clausa circa matrimonii celebrationem et ideo etiam principium par. 1 (matrimonium quolibet anni tempore contrahi potest) omitti potest.

Suffragatur utrum placeat supprimere can. 1108 necne:
Omnibus placet.

Circa locum celebrationis matrimonii (can. 1109) Rev.mus Relator hanc formulam proponit:

« § 1. Matrimonium inter baptizatos (vel: christianos) celebreteur in ecclesia paroeciali; in alia ecclesia aut oratorio (publico vel semi-publico) celebrari poterit de licentia Ordinarii loci vel parochi.

§ 2. Matrimonium in aedibus privatis celebrari Ordinarius loci permettere potest.

§ 3. Matrimonium inter partem catholicam et partem non baptizatam in ecclesia vel in alio convenienti loco celebrari poterit».

Rev.mus decimus Consultor censet § 3 omitti posse, quia tandem aliquando non est necessarium habere normas diversas pro matrimoniis inter baptizatos (§ 1) et matrimoniis inter partem catholicam et partem non baptizatam (§ 3), si ambo celebrari possunt in ecclesia.

Sed alii Consultores tenere volunt § 3, quia matrimonium de quo in § 3 potest celebrari in ecclesia, dum alia matrimonia baptizatorum celebrari debent in ecclesia.

Rev.mus secundus Consultor vult ut § 1 ita redigatur: « Matrimonium celebretur in ecclesia paroeciali; in alia ecclesia etc... ».

Rev.mi quartus, tertius et undecimus Consultores proponunt ut reductio canonis ita evolvatur: § 1 - matrimonia quae contrahuntur for-

ma canonica celebrantur in ecclesia paroeciali, salvo praescripto § 3; in § 2 habeantur normae de celebratione matrimonii in oratorio vel in domo privata; et in § 3 habeantur normae de loco celebrationis matrimonii mixti.

Rev.mus nonus Consultor proponit duas paragraphos:

§ 1 – matrimonia inter catholicos celebrari debent in ecclesia paroeciali; in aliis locis celebrari possunt de consensu Ordinarii.

§ 2 – matrimonia mixta celebrari possunt in Ecclesia.

Cardinalis Praeses proponit hanc formulam:

« § 1. Matrimonium inter catholicos vel inter partem catholicam et partem acatholicam celebretur in ecclesia paroeciali; in alia ecclesia aut oratorio celebrari poterit de licentia Ordinarii loci vel parochi.

§ 2. Matrimonium in aedibus privatis vel in alio convenienti loco Ordinarius loci permittere potest.

§ 3. Matrimonium inter partem catholicam et partem non baptizatam in ecclesia vel in alio convenienti loco celebrari poterit.

Suffragatur formula Em.mi Praesidis:

Placet 9; placet iuxta modum 1.

Modus:

Initio dicatur: « Matrimonia, quae celebrantur forma canonica, celebrantur in ecclesia etc... ».

Rev.mus Relator et Rev.mus tertius Consultor proponunt ut hic canon de loco celebrationis ponatur sub capite de forma canonica matrimonii.

Sed Em.mus Praeses et Rev.mus Secretarius malunt ut cap. VIII non supprimatur etsi uno tantum canone constet. Quinimmo Em.mus Praeses proponit ut aliquod vestigium de tempore celebrationis maneat in Codice per hunc canonem (can. 1108):

« Matrimonium quolibet anni tempore contrahi potest, secundum probatos libros liturgicos ».

Consultores concordant cum Em.mo Praeside.

Caput IV
DE MATRIMONII EFFECTIBUS

Can. 1110 (de vincuolo perpetuo et exclusivo et de gratia)

Rev.mus Relator censet can. 1110 CIC supprimi posse quia primum comma est fere tautologia: ex valido matrimonio (in fieri) oritur validum matrimonium (in facto esse); ceterum sufficiunt cann. 1013, §§ 1-2; 1081; 1086, § 2. Alterum comma est affirmatio theologica, non canonica, et pro nullo alio sacramento in CIC id fit.

Em.mus Praeses et plures Consultores volunt retinere hunc canonem quia:

- matrimonium, p[ro]ae ceteris sacramentis, est institutum naturae et ideo bene est ut declarentur quinam sint ipsius effectus (Em.mus Praeses);
- primum comma in aliis canonibus continetur tantum implicite et bene est ut explicite hic ponatur (Rev.mus secundus Consultor);
- hic canon postulatur rationibus theologicis et pastoralibus (Rev.mus quintus Consultor);
- materia canonis non est stricte theologica, sed habet indolem quoque iuridicam (Rev.mus nonus Consultor).

Suffragatur utrum placeat retinere canonem 1110 quaod substantiam necne:

Placet 6; non placet 1; placet iuxta modum 2.

Modi:

(1) tamquam effectus enumeretur nova notio admissa in can. 1013 id est «enascitur inter coniuges intima totius vitae coniunctio natura sua perpetua et exclusiva» loco «vinculum natura sua etc...»:

Placet 1; non placet 8.

(2) alterum comma canonis ita redigatur: «matrimonium christianum confert praeterea sacramentalem gratiam qua coniuges ad sui status officia et dignitatem roborantur et veluti consecrantur» (Rev.mi quintus et septimus Consultores):

De hoc modo plures habentur difficultates inter Consultores, praesertim ob ultima verba («et veluti consecrantur») quae, ut notat Rev.mus

nonus Consultor, non respondent doctrinae communi, sed tantum alicui opinioni theologicae.

Adunatio IX^a
die 28 maii 1971 – vespere habita

Resumitur quaestio de altero commate can. 1110 prout proposito in adunatione praecedenti et suffragatur utrum ipsius redactio placeat necne:

Placet 6; non placet 3; placet iuxta modum 2; abstinet a sententia ferenda 1.

Modi:

(1) deleantur verba «et veluti consecrantur»:

Placet 4; non placet 7; abstinet a sententia ferenda 1.

(2) comma ita redigatur: «matrimonio christiano coniuges ad sui status officia et dignitatem roborantur et veluti consecrantur»:

Placet 4; non placet 7; abstinet a sententia ferenda 1.

(3) comma ita redigatur: «matrimonium praeterea christianum coniugibus non ponentibus obicem gratiam confert qua coniuges ad sui status officia et dignitatem roborantur et veluti consecrantur»:

Placet 1; non placet 10; abstinet a sententia ferenda 1.

Can. 1111 (de initio aequi iuris et officii coniugalis)

Rev.mus Relator censet can. 1111 CIC omitti posse, quia deest ratio legis quae fuit suppressio iuris denegandi debitum per duos menses ob deliberationem de ingressu in religionem. Deficiente illa ratione legis, canon omitti potest, quia aequalitas mariti et uxoris est evidens.

Exc.mus octavus Consultor monet Consultores ut p[re]ae oculis habeant conditionem mulieris in quibusdam regionibus, quare non videtur opportuna suppressio canonis 1111.

Ill.mi tertius, nonus et duodecimus Consultores proponunt hanc formulam:

«Utrique coniugi ab ipso matrimonii initio aequum ius et officium est ad ea quae ad consortium vitae coniugalnis pertinent».

Placet 9; non placet 1; placet iuxta modum 2.

Modus:

Supprimantur verba « ab ipso matrimonii initio »:
Placet 11; non placet 1.

Can. 1112 (de uxore participe status mariti)

Circa hunc canonem discussio habetur utrum supprimendum sit necne.
Fere omnes Consultores contenti sunt de principio aequalitatis canonis
praecedentis et ideo, perpensis rationibus pro et contra, statuunt ut canon
supprimatur.

Can. 1113 (de obligatione educationis)

Rev.mus Relator censet hunc canonem omitti posse. Nam parentes ha-
bent obligationem educationis quia sunt parentes non quia sunt coniugati.
In iure ius primarium et officium parentum melius in aliis locis determina-
tur, ex. gr. in parte de instructione catechetica, de scholis, etc.

Rev.mus nonus Consultor e contra censet canonem non solum esse
servandum sed etiam augendum novis elementis quae hauriuntur ex docu-
mentis Concilii Vaticani II. Ideo proponit hanc formulam:

« Coniugibus, dignitate ac munere paternitatis et maternitatis ornatis,
ius et gravissimum officium imprimis competit, liberorum educationem
praesertim religiosam curandi, eorumque temporali bono providendi ».

Rev.mus tertius Consultor concordat cum Rev.mo nono Consultore, atta-
men vellet ut in canone sermo sit de « parentibus » potius quam de « coniugi-
bus » ac de « educatione in Ecclesia » potius quam de « educatione religiosa ».

Ill.mi septimus et duodecimus Consultores malunt locutionem Codicis
id est « educatio religiosa » potius quam « educatio in Ecclesia ».

Post discussionem seliguntur per successivas suffragationes varia ele-
menta inserenda in novo canone.

(1) « parentes »:

Placet 7; non placet 3.

(2) ius et officium parentum curandi educationem:

Omnibus placet.

(3) utrum ius qualificandum sit tamquam « primarium » necne:
Placet 5; non placet 5.

(4) agitur de « educatione tum physica tum sociali, tum morali et religiosa »:

Placet 7; non placet 2.

(5) utrum retinenda sint verba « pro viribus curandi » necne:
Placet 7; non placet 2.

(6) utrum cura parentum providendi de bono temporali exprimi possit per haec verba: « mediisque ad haec necessariis providendi » necne:

Placet 5; non placet 3; placet iuxta modum 1.

(7) utrum agendum sit etiam de educatione « culturali » necne:
Placet 6; non placet 3.

Textus canonis ita redigitur:

« Parentes ius (primarium) habent et gravissima obligatione tenentur prolis educationem tum physicam et socialem et culturalem, tum moralem et religiosam pro viribus curandi, mediisque ad haec necessariis providendi ».

Suffragatur utrum placeat hic textus necne:

Placet 7; placet iuxta modum 2.

Modi:

(1) dicatur « parentes ius (primarium) et gravissimum officium habent prolis educationem etc... »:

Placet 7; non placet 2.

(2) deleantur verba « pro viribus »:

Placet 2; non placet 7.

(3) dicatur « liberorum » loco « prolis »:

Placet 1; non placet 8.

His omnibus disceptatis, finis sessioni imponitur.

APPENDIX
SCHEMA CANONUM

Can. 1038 bis

Impedimentis iuris mere ecclesiastici tenentur tantum illi qui sunt in Ecclesia catholica baptizati vel in eam recepti nec actu formali aut notorie ab ea defecerunt.

Can. 1060

Matrimonium inter duas personas baptizatas, quarum altera sit catholica, altera vero non catholica, cum natura sua plenae spirituali coniugum communioni obstet, sine praevia Ordinarii loci dispensatione, prohibitum est.

Can. 1061

§ 1. Ab hoc impedimento mixtae religionis Ordinarius loci, pro temporum, locorum personarumque rationibus et adiunctis, dispensationem concedere potest dummodo iusta causa habeatur.

§ 2. Ad impetrandam dispensationem, pars catholica declarat se paratam esse pericula a fide deficiendi removere. Eadem insuper gravi obligatione tenetur promissionem sinceram praestandi, se omnia pro viribus facturam esse, ut universa proles in Ecclesia catholica baptizetur et educetur.

§ 3. De his promissionibus a parte catholica faciendis, pars non catholica tempestive certior fiat, adeo ut constet ipsam vere conscientiam esse promissionis et obligationis partis catholicae.

Can. 1062

Conferentiae Episcoporum est, secundum propriam territorii competentiam, statuere modum quo hae declarationes et promissiones quae semper requiruntur, faciendae sint, sive ore tantum, sive etiam scriptis, sive coram testibus; tum rationem definire qua de ipsis et in foro externo constet et pars acatholica certior reddatur; itemque edicere quae alia sint, pro opportunitate, postulanda.

Can. 1063

Ordinarii locorum aliquae animarum pastores carent, ne coniugi catholico et filiis, e matrimonio mixto natis, auxilium spirituale desit ad eorum officia conscientiae adimplenda, atque coniuges adiuvent ad vitae coniugalnis et familiaris fovendam unitatem. Qua de re, optandum est, ut iidem pastores relationes instituant cum ministris aliarum communitatum religiosarum, easque sincere probitate et sapienti fiducia conforment.

Can. 1064

Conferentiae Episcopales Apostolicam Sedem certiorem reddant de iis quae circa matrimonia mixta ad normam cann. 1062, 1099 § 3, 1103 § 3 pro sua competentia decreverint.

Can. 1065

Matrimonio eius, qui notorie aut catholicam fidem abiecit, etsi ad communitatem acatholicam non transierit, aut societati ab Ecclesia prohibite (reprobatae) adscriptus est, parochus ne assistat, nisi Ordinarius loci, servatis normis de quibus in can. 1061, ad singulos casus (conveniente) aptatis, licentiam dederit.

Can. 1070

§ 1. Matrimonium inter duas personas, quarum altera sit baptizata in Ecclesia catholica vel in eandem recepta (nec actu formalii aut notorie ab ea defecit) et altera non baptizata (vel: quarum altera sit catholica et altera non baptizata), initum sine praevia Ordinarii loci dispensatione, est invalidum.¹

§ 2. Si pars tempore contracti matrimonii tamquam baptizata communiter habebatur aut eius baptismus erat dubius, praesumenda est, ad normam can. 1014, validitas matrimonii, donec certo probetur alteram partem baptizatam esse, alteram vero non baptizatam.

¹ Verba inter uncos posita sunt emendationes propositae a Consultoribus super quas medietas suffragiorum habita est.

Can. 1071

Quae in cann. 1061-1064 praescripta sunt applicari quoque debent matrimonii, quibus obstat impedimentum disparitatis cultus.

Can. 1103

§ 1. Celebrato matrimonio, parochus loci celebrationis vel qui eius vi-ces gerit, etsi neuter eidem astiterit, quamprimum adnotet in matrimonio-rum regestis nomina coniugum, ministri assistentis ac testium, locum et diem celebrationis matrimonii iuxta modum a Conferentia Episcoporum praescriptum.

§ 2. Quoties matrimonium ad normam can. 1098 contrahitur, minister sacer, si celebrationi adfuerit, secus testes tenentur in solidum cum contrahentibus parochum aut Ordinarium loci de inito coniugio quamprimum certiorem reddere.

§ 3. Quoad matrimonium cum dispensatione a forma canonica contractum, Conferentiae Episcoporum normas edant, quibus modus com-muni ratione determinetur, quo de hoc matrimonio in regestis matrimo-niorum et baptizatorum constet.

Can. 1103 bis

§ 1. Matrimonium contractum adnotetur etiam in regestis baptizato-rum in quibus baptismus coniugum descriptus est.

§ 2. Si coniux matrimonium contraxerit non in paroecia in qua bapti-zatus est, parochus loci celebrationis matrimonii notitiam initi coniugii ad parochum loci collati baptismi quamprimum transmittat; nec acquiescat donec peractae adnotationis notitiam receperit, quae processui praematri-moniali adiungenda est.

Can. 1103 ter

Quoties matrimonium vel convalidatur pro foro externo, vel nullum declaratur, vel legitime praeterquam morte solvitur, parochus loci celebra-tionis matrimonii certior fieri debeat, ut adnotatio in regestis matrimonio-rum et baptizatorum rite fiat.

Caput VII
DE MATRIMONIO SECRETO CELEBRANDO

Can. 1104:

Ex gravi et urgente causa loci Ordinarius permittere potest ut matrimonium secreto celebretur ad normam cann. 1105-1107.

Can. 1105:

Permissio matrimonii secreti secumfert:

1° omissionem publicationum matrimonialium ad normam can. 1020 praescriptarum;

2° obligationem gravem secretum servandi ex parte Ordinarii loci, ministri assistentis, testium, et alterius coniugis altero non consentiente di-vulgationi.

Can. 1106

Obligatio secretum servandi, de qua in can. 1105, 2°, ex parte Ordinarii loci, cessat si grave scandalum aut gravis erga matrimonii sanctitatem iniuria ex secreti observantia immineat.

Can. 1107

Matrimonium secreto celebratum in peculiari tantummodo regesto, servando in secreto Curiae archivo de quo in can. 379, adnotetur.

Caput VIII
DE TEMPORE ET LOCO CELEBRATIONIS MATRIMONII

Can. 1108

Matrimonium quolibet anni tempore contrahi potest, secundum probatos libros liturgicos.

Can. 1109

§ 1. Matrimonium inter catholicos vel inter partem catholicam et partem acatholicam baptizatam celebretur in ecclesia paroeciali; in alia ecclesia aut oratorio celebrari poterit de licentia Ordinarii loci vel parochi.

§ 2. Matrimonium in aedibus privatis vel in alio convenienti loco celebrari Ordinarius loci permittere potest.

§ 3. Matrimonium inter partem catholicam et partem non baptizatam in ecclesia vel in alio convenienti loco celebrari poterit.

Caput IX

DE MATRIMONII EFFECTIBUS

Can. 1110

Ex valido matrimonio enascitur inter coniuges vinculum natura sua perpetuum et exclusivum; matrimonium christianum confert praeterea sacramentalem gratiam qua coniuges ad sui status officia et dignitatem roborantur et veluti consecrantur.

Can. 1111

Utrique coniugi aequum ius et officium est ad ea quae ad consortium vitae coniugalis pertinent.

Can. 1113

Parentes ius (primarium)² et gravissimum officium habent prolis educationem tum physicam et socialem et culturalem, tum moralem et religiosam pro viribus curandi, mediisque ad haec necessariis providendi.

² Circa verbum « primarium » exitus suffragionis fuit: placet 5; non placet 5.